

COMMENTARIUS IN JEREMIAE
CAPUT XIIII.

1. Continuatio.

IN capite præcedenti mandabatur Prophetæ, ut in porta Hierosolymitana haberet concionem de Sabbatho: In hoc capite aliud accipit mandatum, quo in domum figuli descendere jubetur.

2. Argumentum Capitis.

Continetur hoc capite tum concio Jehovæ, quæ Hebræi de pœnitentia agenda, itemq; de obstinata impœnitentia admonentur: tum Prophetæ Oratio, quæ ab auditoribus malè tractatus causam suam commendat DEO. Est proinde caput istud partim δημηγορικόν in genere: μετανοητικόν & ἐλεγκτικόν in specie: partim προσκληρικόν.

3. Partitio Capitis.

Due sunt capitis partes summæ ac primariæ. (I) Concio de agenda pœnitentiâ, & obstinata Hebræorum impœnitentia, usq; ad vs. 18. (II) Oratio Prophetæ, quæ causam suam Domino commendat, inde usq; ad finem capitis

4. Usus.

Monentur ministri Ecclesiæ, ut exhortationes μετανοητικὰς instantissimè urgeant, & si fortè contingat, ut auditores & ipsos persequantur, sic causam suam DEO commendent.

Explicatio 1. partis.

¶ 1. 2.

Concio Jehovæ est bipartita. In (I) parte mandatum proponit Prophetæ, ut descendat in domum figuli, indeq; arrepta occasione populum cohortetur ad pœnitentiam usq; ad vs. 12. Circa istud autem mandatum duo veniunt consideranda. (1) ejus promulgatio, cujus summa: Ut in domum figuli descendat, ibi auditurus verbum Domini. Et sic domus figuli fit domus Domini: Quo docemur, opificia honesta DEO non displicere, cujus gratia etiam eorum in Scripturis honorifica fit mentio: præsertim Sir. 39. & Exod 31. (2) Mandati illius Executio; Ubi iterum duo sese offerunt Objecta, (α) Opus figuli, & quidem vas geminum: Vitiosum & δυσίρησκον: probum & ευάρεσκον. (β) Verbum Domini, quo typus ex officio

¶ 3. 4.

¶ 5. 6.